DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

EVANGELIUM. MATTH. IV.

In illo tempore, ductus est Jesus in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei : Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit : Scriptum est : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei : Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Jesus : Rursum scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum, et dixit ei : Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me. Tunc dicit ei Jesus : Vade retro Satana. Scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Tunc reliquit eum diabolus, et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.

CONCIONES.

I. *Ad pugnam cum dæmone spiritualem accenduntur Christiani.*
II. *Bona mundi, quæ diabolus proponit vænalia, qualia.*
III. *Quantopere dæmones metuendi ac cavendi sint.*
IV. *Quadragesimæ tempus acceptabile.*
V. *Motiva ad amplectendum quadragesimæ jejunium.*
VI. *Quid faciendum per quadragesimam.*
VII. *De institutione jejuniorum in Ecclesia, cur certis temporibus fiant.*
VIII. *Causæ præcipitantes in hæresin.*
IX. *Documenta circa personam Christi.*
X. *Documenta circa personam tentatoris.*
XI. *Mysteria.*

CONCIONES AUCTARII.

I. *Ad jejunandum stimuli.*
II. *Carnis esus a jejunii diebus proscribendus.*
III. *Concupiscentiæ triplices exterminandæ.*
IV. *Dæmonum malitia in variis bestiis depingitur.*
V. *Urna fortunæ per quadragesimam proposita a diabolo.*

CONCIO I.

AD PUGNAM CUM DÆMONE SPIRITUALEM ACCENDUNTUR CHRISTIANI.

I. Animat Dei præsentia, et inspectio. — II. Dei adjutorium. — III. Juramentum Deo præstitum. — IV. Dæmonis arrogantia et odium. — V. Diaboli imbecillitas. — VI. Corona proposita. — VII. Exemplum Christi.

THEMA.

Ductus est Jesus in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo. Matth. IV.

Tota quidem hominis vita militia est super terram, attestante Jobo, c. VII. militia, inquam, et colluctatio : *Non adversus carnem et sanguinem, sed adversus rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ,* uti scribit apostolus ad Ephes. VI. nullo tamen anni tempore, magis militandum videtur, quam hoc quadragesimæ, quo malignus ille hostis generis humani, potissimum prodire solet ad evertendos homines a salute sua, quam majori nunc conatu quærunt et operantur. Cujus rei imaginem vivam intueri licet in spurio illo gigante Goliatho, qui ut legimus I. Regum XVII. egressus de castris Philisthinorum maximo supercilio provocabat Israelitas ex adversa parte

instantes ad certamen singulare. Procedebat vero mane et vespere, et stabat quadraginta diebus, ait sacer textus. Ecce tibi typum adversarii nostri diaboli, qui in hodierno evangelio et initio jejunii prodit ad certamen, uti cum Christo, ita cum Christianis omnibus ineundum : quique per quadraginta dies esuriales quotidie nobis insultat et insidias molitur, quo nos in bonis operibus perturbet, aut ab iis revocet, quasi clamans ad nos : Itane vos Deo et non mihi potius deinceps servietis? Itane vos mihi resistere valebitis? Itane per pœnitentiam, jugum meum excutietis? Itane per jejunium similiaque opera Deum vobis iratum placabitis, etc? Taceo superbiam, iram, robur, astus hujus Goliathi. Quæ omnia fortasse non immerito perturbare nos possent, nisi altera ex parte multa et magna adjumenta forent, quæ nobis animos addunt, quemadmodum et Davidi olim addiderunt, ut cum hoste isto strenue dimicemus. Sunt autem hæc.

I. Accendere nos debet Dei agonothetæ nostri præsentia et inspectio, quemadmodum et Davidem accendere ad prælium potuit reges sui et totius exercitus Israelitici spectatio et expectatio. Sic etiam Christus spectatores pugnæ habuit sanctos angelos, qui post victoriam accesserunt et ministrarunt ei. At nos spectatores habemus non solum angelos, sed et mundum universum mundique Dominum, juxta id I. Corinth. IV. *Spectaculum facti sumus mundo, et angelis et hominibus.* Magnus ille athleta Antonius cum aliquando post plurima et gravissima verbera a dæmonibus accepta, subita luce collustratus et divinitus recreatus esset, diffugientibus dæmonibus, erexit se et quasi Deum præsentem cernens, dixit : *Ubi eras, bone Jesu, ubi eras? Quare non a principio adfuisti, ut sanares vulnera mea?* Statimque audivit : *Antoni, hic eram, sed expectabam videre certamen tuum, etc.* Jam vero quis est qui nesciat quam strenue certent pugiles, cursores, cantores aliique, cum advertunt spectari se a rege et magnatibus? Augustus Cæsar moriturus quæsivit ex amicis circumstantibus : *Satisne commode personam nostram in theatro egimus?* Illis respondentibus : *Commode* : *Valete igitur*, inquit, *et plaudite*, Sueton. in Aug. Quanto majus ergo nobis solatium erit, si in mortis articulo audituri sumus, nos in hoc mundi theatro personas nostras strenue egisse? Quam ibi applaudent angeli et tota cœli curia? Audiamus B. Agatham ita de suo certamine loquentem in breviario Romano : « Vidisti Domine, et spectasti agonem meum, quomodo pugnavi in stadio; sed quia dolui obedire mandatis principum, jussa sum in mammilla torqueri. Domine, qui me custodisti ab infantia, qui abstulisti a me amorem sæculi, qui me carnificum tormentis superiorem præstitisti, accipe animam meam. » Hic agonis exitus, cum a Christo Domino, certaminis præside, in cœlum ducta est.

II. Dei adjutorium. Nam, ut ait S. Augustinus, serm. CV. de temp. « Adjuvat certantes, qui certamen indixit. Non te sic spectat Deus in agone certantem, ut populus solet athletam. Clamore enim populus monet athletam, adjuvare non novit. Coronam parare potest, qui indixit certamen, vires tamen subministrare non potest. Deus autem quando spectat certantes suos, adjuvat eos certantes et invocantes. Nam vos athletæ ipsius est Psal. XCIII. Sic dicebam : Motus est pes meus, misericordia tua Domine adjuvabat me. » Sic August. Sane David adversus Philisthæum venit non tam in suo robore et joculandi peritia quam in Dei nomine et præsidio confidens. Unde ait : *En venis ad me gladio et hasta et clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini.* Cum enim nos dæmon non tam propter nos, quam propter Deum oderit ac persequatur, fieri non potest, ut nos deserat Deus in conflictu quem pro ipsius honore et causa tuenda suscepimus. Itaque primo sui indigentibus, quos periclitari videt, mittit angelum suum, qui eis opem ferat, cujus exemplum refertur in prato spirituali Joan. Moschi ad Sophron. cap. LXVI. de abbate Theodosio, qui priusquam ad vitam solitariam transisset, factus in extasi, aspexit virum, cujus species claritatem solis vinceret. Hic tenens manum ejus : *Veni*, ait, *quia pugnare et luctari te convenit*, et induxit eum in theatrum plenum viris ex una parte candido amictu, ex alia vero nigro vestitis. Cum ergo injecisset eum in theatrum, aspexit Theodosius virum miræ magnitudinis Æthiopem, cujus caput turpissimum penetrabat nubes. *Cum hoc*, ait ille juvenis, *luctari te oportet.* At vero Theodosius ad hæc tremore ac pavore plenus : *Quis hominum*, inquit, *mortali conditione et infirmitate circumdatus cum hoc luctari posset? Non ipsum universum genus hominum si in unum confluat, huic resistere prævalet.* Ait autem ad illum juvenis ille : *Prorsus cum illo te luctari opus est : ingredere igitur cum omni alacritate et fiducia. Mox enim ut tu illum adorsus fueris, ego adjutor ero, tibique victoriæ coronam reponam.* Ut ergo ad certamen est ingressus luctarique cœpit, adfuit continuo juvenis Theodosio et coronam porrexit. Æthiops porro cum nigro suo agmine illico disparuit : pars vero candidatorum victori congratulata est. Deinde, fidelis Deus non patitur nos tentari supra id quod possumus, I. Cor. X. Si enim figulus, ut ait S. Ephrem, serm. I. de pat.

novit, quanto tempore vasa oporteat in igne relinquere, donec utilia efficiantur, neque longo nimis, ne adusta corrumpantur, neque parvo nimis, ne dissolvantur : quanto magis Deus novit exercere tentationibus vasa sua, quantum illis congruit?

III. Fidelitas, quam regi nostro Deo debemus. Huic enim in baptismo diximus sacramentum et juravimus nos ejus partes tueri velle. Sic David provocatus fuit ad duellum, zelo honoris divini, cui probrum inferebant Philisthæi : *Ut sciat omnis terra*, inquit, *quia est Deus in Israel.* Nos igitur quia in baptismo fidelitatem Deo spopondimus, pro eo contra diabolum depugnare etiam usque ad sanguinem debemus, ut ne aliquid committamus, quod ejus legibus et honori sit contrarium. Hujus fidelitatis admonet nos apostolus, ad hanc pugnam excitans, ad Eph. VI. cum ait : *State ergo succincti lumbos vestros in veritate*, id est, fidelitate; sic enim Isa. XI. de Christo etiam dicitur : *Fides* (Hebr. *fidelitas*) *cinctorium renum ejus.* Ut ergo cingulum militare admonet militem sacramenti dati et præstandæ fidelitatis : ita nos baptismus, cujus proinde votum et juramentum producere et meminisse deberemus, quoties a dæmone infestamur et tentamur dicendo : Non possum tibi morem gerere, quamdiu hoc balteo cinctus Deoque obligatus sum. Audiat pugil Christi classicum S. Chrysostomi, ser. de martyr. tom. III. « Exere vires, inquit, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce : pactum quod spopondisti, conditionem qua accessisti, militiam cui nomen dedisti. »

IV. Dæmonis superbia et odium quod gerit erga nos, sic Davidem inter alia excitavit ad certamen fastus et sævitia Goliathi, contemnentis exercitum Hebræorum et provocantis eos ad duellum. Hæc enim illius arrogantia quæ alios Hebræos dejiciebat, ita ut vel ad conspectum gigantis fugerent, Davidem magis erigebat, et bilem emovebat. Unde in hæc prorupit verba : *Quis est iste incircumcisus, qui ausus est exprobrare exercitui Dei viventis?* Longe major est arrogantia et ira dæmonis adversus omnes nos. Hinc enim Apoc. VIII. vocatur *mons magnus et igne ardens.* Magnus ob superbiam, dixit enim : *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, etc.* Isa. XIV. Ardens ob iram et invidiam erga genus humanum. Mons iste impedire olim conatus est Zorobabelem, ab ædificatione templi vastati, et postea verum Zorobabelem, Christum ab ædificatione ecclesiæ suæ. Sed humiliavit eum Christus. Unde ad illum Zacharias, c. IV. *Quis tu mons magne*, inquit, *coram Zorobabel : in planum.* Sic enim natura comparati sumus, ut superbos et arrogantes ægre toleremus, atque inflammemur ad eosdem, si fieri queat, deprimendos et confundendos. Similiter si inimicum nostrum videamus, illico sanguis nobis ebullit et armatur ad vindictam. Tamen vero si contra fratres nostros simus, vituperio; si contra dæmonem, laude digni erimus. *Huic inimico*, ait S. Chrysostomus, hom. XII. ad Eph. *semper inimicus esto, non fratribus. Sic abjectus erit et captu facilis : sævus si nos in eum sævierimus, non futurus : sævus contra, si mansueti fuerimus.* In montem igitur nobis veniat, quanto fastu dæmon contra Deum se erexerit : quanta nequitia nos paradiso spoliarit et adhuc spoliare studeat gloria cœlesti, secumque in tartara trahere meminerimus : quanto fastu, invidia et impietate petierit a Christo et sui adorationem et ipsius præcipitationem.

V. Dæmonis imbecillitas. Contempsit non immerito David robur et arma Philisthæi, quia scivit suis lapidibus majus robur inesse; quod paulo post enituit, cum primus emissus lapis fronti hostis infixus, ad terram eum prostravit : tam vastam inquam molem lapillus unus dejecit. Nihilo fortior est diabolus, qui ad invocationem tantum nominis Jesu, vel si tu in fronte crucem pingas, repellitur. Goliath Davidi non poterat nocere nisi vicino, David eum vicit etiam distantem; ita etiam dæmon nemini nocere potest, nisi ultro accedenti. Unde S. Augustinus, dom. I. post Trin. serm. II. ait : « Alligatus est tamquam innexus canis catenis, et neminem potest mordere nisi eum, qui se illi mortifera securitate conjunxerit. » Et S. Antonius : « Dæmon, inquit, sicut passer irretitus, tenetur et constringitur a Christo. Christiani ergo Christo nixi, dæmonem non timeant, sed rideant. » Atque ita sane faciebat ipse. Apparentem enim in forma gigantum leonum, ursorum, etc. irridebat dicens : *Si habes potestatem a Deo in me, exere. Ecce ego. Si non, quid frustra conaris me hisce monstruosis phantasmatibus territare, qui nihil potes*, Athan. in ejus vita. S. item Hilarion dæmonum ludibria sola invocatione nominis Jesu in nihilum redegit, cumque aliquando dæmon cameli specie ferociens accolas percelleret, processit ei obviam dicens : *Non me terres, diabole, tanta mole corporis, et in vulpecula et in camelo unus atque idem es*, Hieronym. in ejus vita. Idem patet ex hodierno evangelio, ubi a Christo petere quidem consensum potuit, extorquere non potuit. *Mitte te deorsum*, ait, non mittam te. *Persuadere enim potest*, ait Hieron. in eum locum, *præcipitare non potest* : et S. Bern. *Videte*, inquit, *fratres, quam debilis est hostis noster, qui non vincit, nisi volentes.* Non ergo demus ei voluntatem, et nocere nobis non poterit. Pulchre id explicat abbas Achilles in vitis patrum, l. VII. c. XV. per apologum lignorum Libani, quæ cum lignorum cæsori manubrium ex se dedissent, omnia excisa sunt; ligna sunt animæ, securis diabolus, manubrium voluntas nostra. Per malas ergo voluntates nostras incidimur. Nega igitur dæmoni manubrium : Vade Satana, et fugiet. Sollicitabat aliquando, nescio quem, ait Rodriq. p. II. exercit. tract. IV. c. XI. sinister genius ad laqueum, ac tantum non adigebat. Ergo religiosus ad quem is consilii inops confugerat : Numquid vero inquit, hoc non in manu tua est? Prorsus est. Dic ergo : Nolo; et post octo dies mihi refer, qui tecum agatur. Ita brevi tentationem discussit : uti postea gratulabundus viro Dei retulit. Neque debilis tantum, sed et timidus est, si quis ei fortiter se opponat juxta id S. Jacobi IV. *Resistite diabolo et fugiet a vobis.* Ad instar videlicet feminæ procacis, quæ cum viro rixans si advertat eum timidum et fugacem, tanto acrius in eum insurgit et furit, contra vero abjicit animum et cedit, cum videt eum sibi forti et constanti animo obsistentem. Qua de causa S. Greg. l. V. moral. c. XVII. dæmonem myrmecoleontem vocat, id est, formicam et leonem : quia fortibus est formica, timidis vero leo; leonibus est formica, formicis leo.

VI. Corona pugnantibus proposita, eaque non marcescibilis; e lauro, myrto et floribus, qualis dabatur olim athletis vincentibus. Illi enim pugnant : *Ut corruptibilem coronam accipiant : nos autem incorruptam*, ait apostolus, I. Cor. IX. Ad hanc ipse jam victor anhelans dicebat, II. Tim. IV. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Davidem ad certamen provocavit merces, quæ erat filia regis et divitiæ multæ; sed quid hæc ad coronam gloriæ nobis promissam? Epaminondas dux Thebanus, victor occumbens, audiens clypeum suum esse integrum et hostem debellatum, dicebat se jam nasci, dum sic occumberet, Val. Max. Si ob gloriam et laudem corruptibilem tam lætus hic occubuit, quid faciat Christianus? Non itaque nos terreat hostium sævitia, quia pro cœlo pugnamus. Dicebat Alexandro Magno Craterus : Macte Alexander, pro regno cum leone pugna. Id nobis pro regno non terreno, sed cœlesti pugnantibus dici ab angelo bono credamus. Diabolus ille leo est, de quo S. Petrus, ep. I. c. V. scribit : *Tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.*

Non terreat hostium multitudo, quia pluribus devictis, plures obtinebimus coronas. Agis Lacedæmoniorum rex apud Mantinæam monitus, ne confligeret, quod hostium numerus major esset, respondit : *Necesse est contra multos pugnet, qui multis vult imperare.* Ad hæc plures sunt nobiscum ss. angeli scilicet, uti vidit Elisæus, IV. Reg. VI. Denique, sicut angeli, cum debellasset hostem Christus, accesserunt et ministrarunt ei, sic facient etiam aliis, quotquot illum vicerint. O quantum erit morientibus solatium, quando videbunt ad se accedentes angelos et victoriæ coronam sibi porrigentes, quando dicere poterunt cum apostolo : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ!*

VII. Exemplo Christi præliantis ante nos. Sic aquila (sicuti physiologi scribunt) ut doceat pullos suos pugnare cum dracone, bellum cum eo pullis inspectantibus aggreditur, ejusque caput impotens ac lacerans frangit, et confractum pullis tradit. Refert Hieron. Bapt. de la Nuza, tract. VII. c. VII. Contrivit in hodierno conflictu Christus caput et superbiam dæmonis, eumque sic confractum nobis dilaniandum tradidit. Hinc igitur post Christum tot milites prodierunt, qui cum dæmone pugnare aperto marte non dubitarent, imo eum ad pugnam ultro provocarent, eique insultarent, nec tantum veterani et exercitati, uti Antonius, Hilarion, etc. sed et pueri et virgines. Olim Miltiades imperator Atheniensium (ut scribit Philo, in l. Quod omnis probus est liber) quando rex Persarum tam multa millia trajecit in Europam, quasi ad primum clamorem oppressurus Græciam, convocatis in Panathenaicum conventum sociis, pugnantes gallos ostendit gallinaceos, ratus hoc spectaculum majorem vim habiturum ad permovendos Græcorum animos quam orationem. Nec eum fefellit sua opinio : spectata in brutis patientia pertinacique contentione usque ad necem pugnantibus, invicto pectore correptis armis eam expeditionem susceperunt, contemptis mortibus et vulneribus. Sic Philo. Spectemus nos Christiani non tam gallorum bellicositatem, quam fortium Christi militum, qui ad mortem usque strenue dimicarunt cum humani generis hoste, indeque animemus ad simile certamen.

Non habuit ejusmodi exemplum David : nemo ante ipsum pugnaverat cum Goliatho, nedum eum expugnaverat. At nos habemus exemplum Christi et sanctorum plurimorum. Itaque cum Davide curramus ad pugnam ex adverso Philisthæi illius, uti monet apostolus ad Hebr. XII. dicens : *Tantam habentes impositam nubem* (id est copiam) *testium, curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum.*

CONCIO II.

BONA MUNDI, QUÆ DIABOLUS VÆNALIA PROPONIT, QUALIA.

I Bona mundi inania. — II. Permixta incommodis. — III. Fluxa et momentanea. — IV. Pauca. — V. Promittuntur, sæpius non dantur. — VI. Caro venduntur.

THEMA.

Assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum. Matth. IV.

Miramini forsitan, auditores, quid sibi velit Ecclesia, quod hoc potissimum tempore quadragesimali adeo nos urget et invitat ad bona opera patranda, ad jejunium, orationem, eleemosynas, verbi Dei et missæ frequentationem, ad pœnitentiam et communionem, ad morum honestatem vitæque continentiam : sed desinite mirari. Tempus hoc nundinarum est spiritualium, in quo Christus Dominus (uti videbimus post octiduum) proponit nobis vænales regni sui divitias in monte excelso, idcirco nunc hortatur nos Ecclesia, ut monetam nobis paremus, qua comparare divitias illas possimus, et quidem in epistola hodierna : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, etc.* II. Corinth. VI. Verum enim vero, quemadmodum nullæ sunt nundinæ, ubi non conveniant aliqui etiam impostores, qui vano mercimonio homines decipiant, depravatas illis merces pro bonis obtrudendo; ita non deest veterator ille dæmon, qui et ipse in monte alto suas explicat merces et vænales toti mundo proponit, jactat et commendat, imo eas hodie ipsi Christo offerre ausus est, dicens : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Sed attendite, auditores, quid et a quo mercemini. Quare hodie inspiciemus merces diaboli, post octiduum merces Christi : postea vos eligite.

I. Bona quæ offert, inania sunt et sæpe fictitia tantum : uti ostendit imaginaria illa repræsentatio regnorum mundi et gloriæ eorum. Quomodo enim dæmon super uno monte, quantumvis excelso ostendere possit revera omnia mundi regna et ornatum eorumdem ? Quis tam altus in orbe mons ? Et si esset, quomodo corporeus oculus acie sua perlustrare eodem momento totum mundum posset cum omni sua gloria ? Fuit ergo phantastica tantum adeoque inanis ista repræsentatio, quomodo Zeuxis Heracleotes decepisse fertur aves, pingendo uvas tam absolute, ut eas tamquam veras capturæ advolarent. Et Zeuxen ipsum Parrhasius, pingendo linteum seu cortinam tam artificiose, ut Zeuxes peteret ea remota ostendi sibi picturam, ut putabat subtus latentem, Plinius, libro XXXV. capite X. Ita dæmon primo, sæpe mera figmenta monstrat ad instar lamiæ illius, quæ ut refert Philostratus, l. de vita Apollonii, capite V. fingens se velle nubere Melippo juveni, plurimas divitias et omnis generis ornatum, unaque convivium splendidissimum vino et dapibus instructum ostentabat, quæ tamen omnia cum Apollonius diceret fictitia esse, subito evanuerunt. Ita dæmon olim S. Antonio objecit in itinere discum argenteum, et auri massam, quæ tamen perspecta in fraude, mox evanuerunt, ut in ejus vita. Ita Radbodo repræsentavit splendidissimum palatium, quasi cœli regiam, quo eum retraheret a baptismo, quod et obtinuit, ut alibi vidimus. Deinde pingit suas merces, ut veræ ac solidæ videantur, quæ tamen in veritate *vapor* tantum *ad modicum parens*, nihil solidi boni continentes, quia nimirum viventibus tantum commodi aliquid adferunt, mortuis nihil prosunt, sed cum morientibus moriuntur. Carbones sunt nigerrimi quos tamen afflatu et astu suo dæmon splendere facit instar carbunculi, gemmæ pretiosissimæ. Ideo Dominus ait Job XLI. *Halitus* (id est suggestio) *ejus prunas ardere facit.* Sic divitias, quas apostolus vocat *stercora*, et Habacuc, cap. II. *densum lutum*, repræsentat velut fulgentes stellas; meretricem velut sidus; honorem velut coronam aut diadema, etc. Ita repræsentavit primis parentibus pomum vetitum, velut lignum vitæ, habens aliquid divinitatis ad aperiendos oculos, etc. *Vidit enim mulier lignum, quod bonum esset ad vescendum, et pulchrum oculis, etc.* Ecce non pulchritudinem tantum, sed et suavitatem pomi repræsentavit oculis Evæ, cum hæc non oculis, sed gustu tantum percipi possit, Genesis III. sic repræsentavit David pulchritudinem Bethsabeæ multo majorem, quam revera fuerit, quasi videlicet esset pulchrior uxoribus ejus et quibuscumque aliis, etc.

II. Permixta sunt incommodis, curis et laboribus. Diabolus tamen ostendit regna eorumque gloriam, sed non eorumdem curas et pericula, ad instar fallacis mercatoris, qui mercium suarum defectus celat, bonitatem tantum seu splendorem potius jactat. Quis autem non advertit, quod quidam expertus, Antigonus videlicet, dixit filio, dignitatem regiam splendidam esse servitutem; cujus et hoc celebratur : Si quis nosset, quantis malis diadema esset refertum, ne humi quidem jacens tolleret. Quod idem Seleucus dixit, vel ob eam tantum molestiam, quam habent reges in legendis et prescribendis epistolis, Cœlius, libro VIII. antiq. lect. c. I. Sed omni teste major

est Salomon, qui cum omnia sibi parasset, quæ ad regium splendorem et humanam felicitatem spectare viderentur, omnia tamen invenit plena doloribus; quod longa inductione prosequitur ab experientia desumptum, tandemque concludit : *Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur et oblectaret se in his, quæ paraveram, etc. vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi,* Ecclesiastici II. Idem postea cap. IV. testatur de aliis statibus : *Verti me ad alia et vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, et lacrymas innocentium et neminem consolatorem, etc. et laudavi magis mortuos quam viventes, et feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.* Magnam quidem pulchritudinem addebant Absaloni capilli, sed ii tamen interim gravabant ejus caput, eoque magis, quo magis crescebant, ut habetur II. Regum XIV. ita quo magis crescunt divitiæ et honores, eo magis crescunt curæ, pericula, labores, adeo nihil est in mundo sincere bonum, quod bene indicatum est a sponso, cum hunc mundum vocavit hortum nucum, Canticorum VI. *Descendit in hortum nucum.* Nuces enim paucæ vel leviter commotæ, multum edunt strepitum, et si in terram cadant, tripudium facere videntur, ideoque forte in Romanorum nuptiis spargi solitæ, ut scribit Plinius, l. XV. c. XXII. interim tamen triplicem amarum habent corticem, a quo exui prius debent, quam edantur : ita omnia mundi bona multi sunt rumoris (ut dici solet) paucæ lanæ : et imprimis triplices habent dolores ac sollicitudines, in acquirendo, in conservando, in perdendo. Versutissimus autem mercator diabolus, nuces has commovendo, strepitum edit, dulcedinem eorum extollit, sed corticum amaritudinem tegit : quod etiam fecit Hebræis in deserto, cum carnes tantum et pepones gustatos in Ægypto, in memoriam eis refricabat, verbera vero et luti ac laterum labores ibidem exantlatos tacuit et abscondit, Num. XI.

III. Fluxa et momentanea sunt : ideo Sanctus Lucas ait dæmonem ostendisse Christo regna orbis terræ *in momento temporis* (forsan eo modo, quo pueri solent bullam aquæ uno fluctu excitare, quæ momento iterum perit), recte in *momento*, quia et in momento aufert. Inde et Sophar, Job XX. dixit : *Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit et gaudium hypocritæ* (Septuaginta habent, *lætitia impiorum*) *ad instar puncti* : et mox : *Velut somnians non invenietur, transiet sicut visio nocturna.* Quod verissimum esse experiuntur omnes in articulo mortis; nam etiam qui diutissime vixerunt, putant se vix paucis mensibus vixisse; ita furtim dies suos amiserunt. Et quo dies sunt jucundiores, eo citius evanescunt et avolant. Hinc Job, cap. VII. *Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur.* Radius textorius velocissime trajicitur per texturam, ut vix advertas : sic dies nostri transierunt. Quam cito mensura palmi contexta est, tam cito et una hebdomas vitæ transit : quam cito integra tela pertexitur, tam cito vita nostra finitur. Unde S. Gregor. in eum locum ait : « Sicut tela filis (intellige transversis), sic vita mortalis diebus singulis proficit; sed quo ad augmentum proficit, eo ad incisionem tendit. Sed contingit interdum telam textori incidi a malevolo homine, vel milite, vel ex causa ab ipso textore, cum vix palmus unus aut alter pertextus est : sic multis qui longam sperabant texere vitæ telam, inciditur in juventute, vel ætate virili, uti Ezechiæ regi, qui Isaiæ XXXVIII. ægrotans queritur : *Præcisa est velut a texente vita mea : dum adhuc ordirer, succidit me.* » Ita imprimis illi, qui suam in his bonis quietem ponunt, quæruntque, momento ea sibi eripi experiuntur. Cum enim per belli labores, per mercaturam, per servitia aulica opes sibi compararunt, tunc plerumque cum iis frui volunt, sentiunt inexpectatam mortem, quæ totum illis surripit. Quemadmodum enim venator prædam ostendit canibus, ad eamque consectandam eos incitat clamoribus, at uti eam illi assecuti sunt et dividere inter se parant, adest repente cum baculo, et contendit ora miseris, prædamque eripit : ita prorsus dæmon, qui prædam ostendit et persequi jubet, partam vero in momento surripit. Id certe contigit Sejano consuli sub Tiberio imperatore, tantæ auctoritatis, ut Romæ absente illo ageret imperatorem, aureoque in senatum curru veheretur. Sed quid ? Allatæ sunt ad eum ex improviso litteræ, quibus cum speraret dignitatem suam auctum iri tribunitia potestate, obtulit eas senatui lætissimus. Summa autem erat, ut actutum deponeretur, in vincula conjiceretur, plecteretur capite, unco traheretur, in Tiberim ageretur præceps, propter occultam perfidiam in imperatoriam majestatem, quod et factum est, ut refert Dionysius, lib. LVIII. Ita Amalecitæ, cum prædam dividere et sedentes epulari vellent, a Davide repente oppressi sunt et cæsi, I. Regum XX. Ita dives ille, qui dicebat : *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare,* mox tamen sequente nocte audit : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti, cujus erunt ?* Lucæ XII.

IV. Pauca sunt quæ dat. Ita imprimis ea